



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Contigit 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

sione committi? Et tamen textus noster, si nudè ejus verba spectemus, non videtur hanc abrasionem improbare.

Unde hinc valde laborant Interpretes, quò sensu hic textus exaudiendus sit. Sunt enim qui intelligunt textum de litteris confirmatoris, de quibus agitur infra tit. De confirmat. utili vel inutili, cum ex collatione harum litterarum cum suo originali veritas facillè haberi possit. Alii verò de modica mutatione, puta litteræ unius aut syllabæ; secus de mutatione integri verbi. Alii textum procedere volunt, ubi correctio eadem scribentis manu reposita est, vel quando ex præcedentibus & subsequentibus verbis veritas ejus, quod abrasum est, colligitur. Quorum omnium sententias refert & rejicit Panorm. hic, nihilo tamen meliorem ipse interpretationem adferens; cum intelligat textum de abrasione, quæ facta est in loco non suspecto: † hanc enim minimè obesse ipse existimat. Quod etiam verum sit, per text. in c. Cum venerabilis 7. inf. De religiosis domib. in c. Cum olim 4. inf. De privil. & in c. Licet 5. vers. 4. inf. De crim. falsi. argum. ducto à contrario sensu: non tamen convenit textui, qui & de loco suspecto loquitur, ut in exemplis antè à me allatis.

Quare quartam sententiam veriore existimo, quæ videtur esse Innoc. & Goffredi apud eundem Panorm. hic, quæ & probatur Jasoni in l. fin. num. 19. C. De edicto D. ADR. toll. qui eleganter tradit, abrasionem non obstat, etiam in loco substantiali, hoc est, quæ rem ipsam, de qua agitur, principaliter concernit, ubi scilicet eadem manu scriptura mutata & restituta est: & id quidem incunctanter, ut loquitur textus hic in fine, vel etiam si, perfecto instrumento, Notarius in subscriptione sua testetur, se ejusmodi abrasionem fecisse tali vel tali lineâ. Vide laicius Felin. hic & Jasonem d. loco.

Porro quæstionis est, An per hujusmodi rasuram non rectè restitutam, prout dictum est, vitietur totum instrumentum, an verò pars illa, in qua admittà est? Et rectè Resp. Panorm. hic, non vitari in capitulis separatis, arg. c. Si eodem tempore 9. De rescript. in 6. & per juris regulam, utile per inutile non vitatur, c. Utile De R. l. in 6. Aliter in depositione testis, quæ vitatur in totum, ratione partis falsæ, propter perjurium, quod personam testis indignam reddit testimonio ferendo, c. Testimonium 54. sup. De testib. & attest.

In Cap. Contigit 5.

NOta ex hac Decretali, privilegium, sive aliud instrumentum, in judicio productum, integrè exhibendum esse, & legendum, audiente parte adversa. Non tamen alterius

articuli, quàm de quo controversia est, descriptio concedi debet, ad evitandam captionem, quod & in c. 1. sup. eod. monuimus.

In Cap. Inter dilectos 6.

SUMMARI A.

1. Consumptio, rasio, & corruptio quatenus vitient instrumentum
2. Corruptio sigilli non vitiat instrumentum publicum.

HOc Cap. cum contentio esset inter Abbatem S. Donati & Procuratorem Archiepiscopi Mediolanensis, ratione bonorum & jurium, quæ petebat Abbas sibi restitui, & cum ad probandam intentionem suam certa instrumenta adduxisset, quæ partim consumpta, partim deleta, & quorum sigilla partim corrupta erant, ita ut dignosci non possent, factum est, quòd Abbas causâ ceciderit, absoluto procuratore Archiepiscopi, propter juris regulam: Cum

sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori, c. Cum sunt De R. l. in 6. quæ hic in fine allegatur.

In quo hoc animadvertendum est, quòd etiam summus Pontifex in decisione hujus controversiæ omnia hæc conjunxerit, quòd scilicet instrumenta partim consumpta, partim deleta, partim corrupta essent, unum tamen ex his sufficere ad subvertendum instrumentum, si consumptio vel litura in partibus substantialibus instrumenti acciderit, quod prudentis Judicis erit arbitrari, c. fin. inf. De crim. falsi: quemadmodum & de sigillo instrumenti, utrum enormiter læsum sit, ut rectè tradit Panorm. hic.

Intellige tamen de sigillo instrumenti privatâ manu,